



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Qvintum

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Caput II. Lucius III. a Parisiensi Episcopo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74544](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74544)

punitur, l. si adulterium 38. §. Imperator s. ff. ad leg. Jul. de adul.
 c. Abjurare.] Id est in exilium temporale missa est per septennium: de qua pœna egi in c. 1. de calumniator.

d Transcat.] Non ut monialis, sed ut detrusa in Monasterium penitentiae peragenda causa, juxta tradita in cap. 1. de regul.
 c. In Domino nubat.] Verba hæc exposui in c. 2. de secundis nupt.

CAPUT II.

Lucius III. a Parisensi Episcopo.

Intelleximus ex literis tuis, quod cum M. mulier latrix præsentium filiam parvam haberet, diabolico furore accensa tandem ipsam suggerente eo, qui de fidelium perditione læratur, lethali vulnere jugulavit, propter quod Dominus terræ b maritum ejus, & ipsam compulit abjurare. Quia verò illam c habere filios intimasti, unde circa ejus exilium debeat dispensari: nos de discretione tua plenam fiduciam obtinentes, eam tuæ duximus prudentiæ remittendam, per A. f. mandantes, quatenus ita super hoc provideas, quod sui sceleris pœnam luat, & saluti ejus, & filiorum ipsius per tuam providentiam in Domino consulatur: & non obstante juramento prædicto, quod ab ipsa dictus Dominus proponitur extorsisse, eam sicut expedire videris, viro, & rebus suis restituas, ita quod filios suos liberè possit & pacificè gubernare.

NOTÆ.

1. a Parisensi.] Ita etiam legitur in prima collectione, sub hoc titulo cap. 2. & post Concilium Lateran. part. 50. cap. 25. De Parisensi Ecclesia egi in cap. final. de rescriptis.
 2. b Maritum.] Quia apud Catholicos exulem conjugem conjuxit sequi tenetur, ut probat D. Ni-

colaus Antonius de exilio lib. 2. cap. 3. num. 22.
 c Habere filios.] Liberorum enim ratione mitius agendum est cum delinquente, l. unic. §. si plures, ff. de portion. qua liberis damnat. Faciunt textus in l. qui in Provincia, §. D. Marcus, ff. de ritu nupt. cap. quia circa, de consanguin. & affin. Illustrat Tiraquel. De pœnis tempor. causa 26.

CAPUT III.

a Alexander III.

De infantibus autem, qui mortui reperiuntur cum patre, & matre, & non apparet utrum à patre, vel à matre oppressus sit ipse, vel propria morte defunctus, non debent inde securi esse parentes, nec sine penitentia; sed tamen consideratio debet esse pietatis, ubi non voluntas, sed eventus mortis causa fuerit. Si autem eos non latet ipsos interfectores esse, scire debent se graviter deliquisse: quod b Ancyritano Concilio probatur. Quidam autem penitentiam trium annorum judicant esse debere, quorum unum peragant in c pane, & aqua.

NOTÆ.

1. a Alexander III.] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc titulo cap. 1. nulli tamen exprimitur cui rescribat Pontifex: & ex prioribus hujus textus verbis deduci videretur, in præfenti referri partem Decretalis, cujus principium alibi extat: verba autem in præfenti transcripta reperiuntur apud Burchardum lib. 17. cap. 59. & citantur ex Concilio Parisiensi, can. 5. & in Penitentiali Romano titulo 1. cap. 30. ita habetur: Invenisti infantem tuum juxta te oppressum, ubi tu, & vir tuus simul in lecto jacuistis, & non apparuit utrum à Patre, seu à te suffocatus esset, non debetis securi esse, nec esse sine penitentia: sed tamen in his magna consideratio debet esse pietatis, ubi nulla mala voluntas fuit, sed propria mors: tamen propter negligentiam, quadraginta dies debetis penite-

re. Si autem vos non latet interfectores esse infantis, non voluntate, sed negligentia, tres annos penitere debetis, unum ex his in pane & aqua, & tempore penitendi ab omni luxuria vos custodire debetis. Ideoque existimo verba in præfenti relata Alexandrum accepisse ex dicto can. 5. Concilii Parisiensi.

b Ancyritano.] Apud Burchardum legitur Ancyrano, & verè, licet Concilium hoc à Gratiano appelletur Ancyritanum, ab aliis Anquiranum; sed verè appellandum est Ancyranum. Ancyra enim est Civitas Orientis, in Provincia Gallaciæ; Diocæseos modò Assianæ, modò Ponticæ, ubi Imperatores Orientis sæpè constitisse apparet ex subscriptionibus legis quisquis, Cod. ad leg. Jul. majest. legis 8. Cod. Theodos. quorum appel. non recip. legis 76. de Decur. eod. Cod. legis finalis de prædiis Senator. eod. Cod. legis 1. eod. Cod.